ſtros Barbaricæ gentes *a* ſub juga noſtra redactæ cognoſcunt: & tàm Africa, quàm aliæ innumeræ [al. numeroſæ] provinciæ, poſt tanta temporũ ſpatia *b* noſtris victoriis à Cæleſti numine præſtitis, iterum ditioni Romanæ, noſtróque additæ imperio proteſtantur. Omnes verò populi, legibus tàm à nobis promulgatis, quàm compoſitis *c*, reguntur.

a) *De quibus, ut in ipſa Africa, eiusq; & aliis provinciis videatur. l. 1. & 2. C. de off. præfect. præt. Afr. & l. tanta. 2. [quæ eſt conſtitutio de confirmat. Digeſt.] princ. & §. leges. 32. C. de vet. jur. enucl.*

b) *Nonaginta nempe quinque annos, quibus Africam Vandali tenuerunt. d. l. 1. princ. C. de off. præf. præt. Afr.*

c) *Suas leges Iuſtinianus promulgavit, ſeu publicè obſervandas propoſuit: conjunctim verò, & ſuas & alienas, compoſuit, ſeu in ordinem ac libros redegit.*

§. 2. Et cùm ſacratiſſimas conſtitutiones *a* antea confuſas in luculentam ereximus conſonantiam: tùm noſtram extendimus curam ad immenſa veteris prudentiæ volumina, & opus deſperatum, quaſi per medium profundum euntes, cœleſti favore jam adimplevimus.

a) *Comprehenſas tribus Codicibus: Gregoriano ſcil. Hermogeniano & Theodoſiano: ex quibus unum eumque novum Codicem fieri Iuſtinianus mandavit, die 13. Febr. an. 528. quem confirmavit die 7. April. an. 529. antiquavit verò, & novum repetitæ prælectionis effecit die 16. Novemb. an. 532. ut ex conſtitutionibus de nov. Cod. fac. Item, de Iuſtinianeo Cod. confirm. Item, de emendat. Cod. conſtat.*

b) *Pandectas ſeu Digeſta intelligit; quod opus fieri mandavit die 15. Decemb. an. 530. confirmavit autem die 16.*

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden
http://digital.slub-dresden.de/id364242094/15
gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG